

CASUS
PHYSIOLOGICO-
ANATOMICUS,

Raro obvius

Fœtus circiter bimestris in utero matris aqua
suffocata, aliquot partibus superstitis, reliquis
vero putrefactis,

Discursu & judicio Medico illustratus

et

in argumentum placidæ disquisitionis,

a Præside

JOHANNES CHRISTIANO
UNGNAD,

Med.D. & Gymn. Reg. Illustr. P.P. O. Civit. Phy-
fico, Coll. Reg. Med. ac Sanit. Assess.

et Respondente

CHRISTIANO SAMUEL UNGNAD,

Ruppin. March.

die

August. hor. 9. et sequ. Anno 1753.

in

Regii ac Illustris Gymnasii Academici
Auditorio Majori publice propositus.

SEDINI, Typis Joh. Frider. SPIGELII, Regii Regiminis & Gymnasii-Typogr.

Dis anat, 642

Anat

Anat.

A.

234,30

CASTLE

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



Q. D. B. V.



Quantum inter se differant eruditorum occupationes, quam diversi sint labores eorum, qui studia exercent, vel vulgo eruditorum abunde constat. Neque adeo longe causa variæ hujus operæ petenda. Etenim neminem opinor latet, quod ille, qui ad aliqualem saltem eruditionis gradum aspirat, non tantum varias necessario linguas callere, verum etiam, antequam se ad hujus vel illius Scientiæ cognitionem accingat, variis disciplinis imbutus esse debeat, quibus destitutus mancam tantum ac mutilam

tilam acquireret eruditionem. Manifeste hinc apparet, cum tot ac adeo inter se discrepantes extent studiorum ac Scientiarum partes, literis tam diversa ratione incumbentibus diverso quoque modo infudandum esse. Longe vero alia, eaque non levis momenti causa, cur adeo inter se discrepent virorum doctorum studia ab iis, qui ad altiorem eruditionis gradum evecti sunt, dilucide nobis supeditatur. Universa eruditorum cohors jure meritoque nullo non tempore in eo est, ut illas Scientiarum partes, de quarum veritate et certitudine jam fatis constat, ulterius illustret, amplificet, atque in optimum ordinem redigat. Licet autem nemo sanæ mentis illis, qui in id incumbunt, suas laudes denegaverit; attamen alii, qui alios et longe magis arduos suorum laborum fines sibi præfixos habent, longe majori etiam laude digni censendi mihi videntur. Quis enim ignorat, quot et quanta unaquæque Scientia sub se comprehendat summa rerum momenta, oculis nostris vel plane non, vel admodum obscure patefacta, verum potius rebus abstrusis et absconditis, prohi dolor! annumeranda. Cum igitur in adumbrandis hisce mysteriis longe major ingenii acies requiratur, e contrario longe facilius sit, inventis aliquid addere; Cum quoque vera et utilis extricatio antea obscuri, jam vero manifesti et valde proficui novi inventi longe majorem, quam ante dicta industria, requi-

requirat solertiam ac vim mentis, unusquisque ultro fatebitur, mox dictæ eruditorum classi longe majorem laudis atque honoris gradum, quam classi ante recensitæ, merito attribuendum. Quamvis vero intuitu omnium Scientiarum tot et tanta extiterint imo extent Oracula, quæ tenebrosas nubeculas dissipaverint, easque ad summum ferme claritatis gradum perduxerint, nulla tamen earum, cum alia hanc, alia illam adhuc sentiat labem, penitus perfectæ omnibusque numeris absoluta merito dici potest. Nemo itaque miretur, ipsam quoque artem Medicam innumeris adhuc laborare defectibus, in eaque desideria nostro quoque tempore restare quam plurima. Innumeros equidem defectus, quibus ars salubris per tot secula laboravit, indefessa multorum Medicorum industria, eorumque vis judicandi acerrima successu temporis felicissime sustulit imo extirpavit. Restant tamen non pauca in arte Medica momenta, quæ obscura, incerta ac explicatu difficilia, imo fere impossibilia sunt. Merito igitur mihi in mentem venit Casus Physiologico - Anatomicus, non quotidie obvius, et paucis abhinc annis a me et Chirurgo Civitatis nostræ observatus. Ultro fateor, me dudum in enucleatione hujus rarioris Casus hæsitare, et anxie Virorum doctissimorum solidissimam explicationem expetere. Offero itaque Tibi, L. B. inprimis vero Viris in arte Medica

dica peritissimis, Casum huncce memoratu dignum,
meamque pro viribus ingenii mei circa illum sen-
tentiam subjungo, enixe ejus, si placet, resolutio-
nem solidissimam rogans, sanctissimeque spondens,
me certioris Tuæ hac super re dijudicationis
gratissima semper mente memorem
futurum.

CASVS PHYSIOLOGICO-ANATOMICUS.

Iussu superiorum, et quidem Collegii Illustrissimi
quod in Pomerania Prussica rebus Domani-
bus præest, anno 1747. mens. August. in pago
Selow, ad præfecturam Regiam Colbatz spectante,
cadaver fœmineum Hedewich Catharinæ Hartin,
una cum Samuel. Klix, Civitatis nostræ, dum vi-
veret, Chirurgo solertissimo, meritissimoque in-
spexi, cultro Anatomico subjeci, idque summa cum
cura perscrutatus sum. Causa vero maxime princi-
palis hujus mandati, nostrique simul laboris in
eo præsertim consistebat, ut sollicite inquireremus,
utrum cadaver hocce fœmininum fœtum gestave-
rit, nec ne?

In universo ambitu hujus cadaveris nulla signa
vulnerum aut læsionum apparebant, nisi quod aqua,
cui hocce corpus per spatium aliquot dierum sub-
mersum erat, permagnus æstus, isque syrius, lon-
gumque

gumque tempus, quia jam jam decimus nonus dies a morte erat præterlapsus, universum habitum corporis externum in putredinem abire jusserint.

Caput, Thorax, Abdomen, una cum visceribus in iis contentis, illæsa erant, nec levissimam labem indicabant.

Præcipuum vero disquisitionis nostræ objectum, scilicet Uterus, qui in statu naturali et extra graviditatis tempus constitutus, exiguam quidem, sed paulisper densam et compactam figuram piriformem repræsentat, non solum major et plus solito dilatatus erat, verum etiam vasa sua sanguinea mirum in modum turgida ac copioso sanguine repleta præ se ferebat.

Prius vero, quam Cadaver hocce a nobis apertum fuerat, abdomen ejus apparebat admodum tumidum, valdeque elatum, unde statim extraordinarium uteri statum suspicati fuimus. Postquam autem culter Anatomicus integumenta infimi ventris ad Omentum usque penetraverat, omnis moles contentorum abdominis uno ictu collabebatur, atque non sine omni strepitu insignis aquarum effluxus statim sese manifestabat, ex quo illico status ingravidationis hujus subjecti nobis admodum dubius reddebatur.

Altius deinde Cadaver hoc explorantes primo quidem intuitu justas ob causas de imprægnatione facta dubitavimus. Vacuus enim videbatur Uterus,

rus,

rus, nullusque fœtus in sensum visus nostri incur-
rebat.

Postquam autem ergastulum hocce paulo accu-
ratus examinavimus, satis distincte nonnullas Cra-
nii partes, Os frontis scilicet, ambo ossa Bregmatis,
maxillamque inferiorem in eo invenimus. Omnes
autem ac singulæ mox dictæ partes tenuissimæ erant
structuræ, et a se invicem separatæ.

Præterea eodem in domicilio exilem partem
osseam et quidem Radium et Cubitum lateris dextri
sive Antibrachium dextrum indagavimus.

Nemo autem credat, ossa hæc omnia, quæ
summa cum diligentia collegimus ac asservavimus,
ullum corruptionis gradum passa fuisse. Erant
potius, quod maxime admirati summus, integra,
incorrupta, colorisque subrufo-albicantis.

Extremities porro et apices ossis frontis, nec
non amborum ossium Bregmatis, quorum ope suc-
cessu temporis futuræ Cranii efformantur et coale-
scunt, flocculis nivis subtilissimis similes erant, unde
innumerabiles hæ cremulæ, figuram ferræ subtilis-
simæ efformantes, non sine suavissimo delectamento
a nobis conspiciebantur.

Integumentis Capitis hujus cadaveris remo-
tis, universum Cranium una cum Encephalo ne
minimum ullius violentiæ vestigium nobis mani-
festabat.

Prorsus vero convicti sumus, hoc cadaver
neque

neque venenum sumsisse, neque accepisse, quoniam nullum veneficii signum externe apparebat, nec in ventriculo mutatio coloris naturalis, vel tumor, nec inflatio, multo minus inflammatio conspici poterant.

E contrario certissime persuasi sumus, hocce corpus delicti undis submersum, et per tot dierum tractum sub iisdem retentum, suffocatum vitam finiisse.

Quamvis vero, uti ultro confessi sumus, quam plurimis et maximis foetus partibus absentibus, paucissimas saltem foetus partes in utero reperire nobis integrum fuerit, nemo tamen, vel leviter tantum Oeconomiam humanam perspectam habens, facile negaverit, hanc foeminam sub aquis misere suffocatam certissime concepisse atque ingavidatam fuisse.

Tenuitas interim earum foetus partium, quas Uterus continebat, formaque earum admodum exigua nobis persuasum dedit, cadaver hoc ultra bimestre spatium foetum non gestasse.

§. I.

Finita nunc recensione Casus hujus Physiologico - Anatomici, rarioribus Casibus haud immerito accensendi, ejusdem resolutionem jam aggredior, meamque de eo mentem aperio, nihil magis in votis habens, quam ut Viri in arte Medica perspicuitate et experientia me longissime superantes

B

rantes

rantes Problema hocce mihi perquam dubium solide solvant, atque extra omnem dubitationis aleam ponant.

§. 2.

Paulo ante monui, Casum præsentem non quotidie obvium, atque ad Casus rariores non immerito annumerandum esse, licet non ignorem exempla Casui huic admodum analoga, eaque partim antiquiora, partim recentissima.

§. 3.

Sic enim seculo proxime elapso Medicus et Philosophus præstantissimus, Zacutus Lusitanus (a) observavit, fœtum mortuum putridum frustulatim post duodecim annos exclusum fuisse, salva et sospite restante matre, imo de novo felicissimam conceptionem experta. Cum vero carnes corruptæ, Craniique fragmenta et ossa fœtus residua cum fœda virulentaque sanie paulatim et tandem duodecimo demum anno ex utero effluxerint, manifeste statim apparet, quam insigniter hicce memorabilis Casus à Casu nostro, in quo paucas per hebdomades plurimæ fœtus partes deperditæ fuere, differat.

§. 4.

Meminit quoque celeberrimus Medicus, Joh. Rudolph. Camerarius (b) variorum exemplorum, maxime

(a) In praxi Medica admiranda Lib. II. observ. 157.

(b) In Sylloge memorabilium Medicinæ, Centur. XX. pag. 1625.

maxime sane memorabilium, scilicet, quod foetus in utero putrefactus per fistulas abdominis non integer nec uno ictu, verum per partes et diverso tempore fuerit exclusus; quod alius foeminae cujusdam foetus idem fatum per apostema umbilici expertus fuerit; in alia foemina per vulnus circa regionem umbilici; in alia paulo supra inguina; in alia tandem per anum.

§. 5.

Novissima etiam tempora tragicis ejus generis exemplis non prorsus destituuntur, id quod legimus in Selectis Medicis Francofurtensibus (c) ubi recensetur historia partus Sceletiformis, qui per anum frustulatim et successive imo post quartum demum annum exitum invenit.

§. 6.

Omnes isti similesque Casus maximam sane merentur attentionem. Cum vero decursus atque finis eorum ad longum usque tempus dilatus fuerit, historia autem nostri Casus spatio paucorum dierum finem assecuta sit, exinde, ni fallor, lucide apparet, aliam longe hujus quam reliquorum esse rationem, illumque debita observatione atque illustratione non indignum esse censendum.

§. 7

Ratio vero maxime principalis, quæ cum Viris eruditis præsertim autem Medicis Experientissimis

B 2

mis

(c) Vol. III. Tom. 3.

mis Casum præsentem communicandi nos impulit, est hæc unica, quia certissime speramus, fore ut ex fundamentali Casus nostri evolutione status Dyctocæ sive partus difficilis clariorem in lucem ponatur, ipsique forsan certius et sæpe exoptatius adminiculum contingat.

§. 8.

Cum itaque duo potissimum jucunda æque ac utilia Casus præsens nobis suppeditet momenta, scilicet

- 1.) Cur deperditis quam plurimis Embryonis partibus paucissima tantum a nobis recentia Ossa in utero materno restiterint?
 - 2.) Qua de causa et quo imprimis stimulo partes absentes non simul, sed singulatim extirpatæ fuerint, nonnullis tamen fœtus ossibus adhuc post mortem matris residuis?
- in animum induximus, illa præcipue pro viribus nostris examinare, mentemque nostram de illis aperire.

§. 9.

Attentione sane maxima nobis dignum videtur, cum omnes reliquæ et pene innumerabiles fœtus hujus partes sensum visus nostri subterfugerint, cur tantum antedicta ossa Cranii atque artuum superiorum in cavitate uteri invenerimus, et quare non illa simul cum reliquis perierint.

§. 10.

Quod ad primum a nobis extricandum attinet argumentum, nulli dubitamus, quin putredo ex
aquis

aquis conciliata partes fœtus quam plurimas corruptas reddiderit, quæ inde a se invicem in utero separatæ diversis vicibus et per repetitum quasi abortum, pristino domicilio relicto, undis immerfæ fuerunt. Variæ etenim eæque satis prægnantes causæ huic corruptioni atque putrefactioni ansam dedere. Cadaver enim hocce non tantum sub aqua, eaque stagnante, verum etiam per novendecim dies et quidem tempore dierum canicularium delituit. Ut taceam, fœminam hanc fœtum suum ex concubitu illicito concepisse, hincque, uti certo constat, maximo dudum animi mœrore affectam fuisse.

§. II.

Satis, ni fallor, ex causis prolatis elucescit, tenellum hocce fœtus corpusculum in putredinem abire debuisse, indeque partes ejus non amplius sibi junctas, has citius, illas tardius ad exitum pervenisse.

§. 12.

Non levis illico mihi suboritur objectio, cur non una cum reliquis deperditis fœtus partibus ossa Cranii adhuc residua, præcipue vero Antibrachium dextrum evanuerint. Non audeo causam insignis hujus diversitatis inde petere, quod ossa Cranii in efformatione fœtus præ cæteris ejus ossibus prius formentur, hinc etiam tam velocem corruptionem non adeo facile ac reliqua ossa patiantur.

Per-suasum mihi potius est, ossa fœtus nobis obviam facta, dummodo mater paulo diutius sub aquis retenta fuisset, idem cum reliquis ossibus absentibus fatum expertura fuisse. Omittere tamen non possumus id, quod celeberr. Camerarius loco supra citato refert, inter fœtus partes per vulnus supra inguina protuberantes Ossa Cranii ultima fuisse.

§. 13.

Converto jam me ad considerationem momenti secundi. Perpendamus primo, quot et quantis ille, qui vitam sub aquis perdit, anxietatibus sit expositus, præsertim vero gravida, quæ longe uberiori ex retentis Catameniis præ reliquis pollet Plethora seu abundantia sanguinis et humorum. Nonne misera talis fœmina insigni dyspnoea seu difficultate respirandi quam maxima diuexatur? Nonne vehementissimæ illam tunc temporis premunt anxietates cardialgicæ cum lipothymiis junctæ? Nonne intolerabiles hosce dolores presso pede spasmos et convulsiones, quin et largissimos hæmorrhagias sequi necesse est!

§. 14.

Non immerito itaque concludimus, huic fœminæ sub undis et in agone mortis constitutæ maximum sanguinis profluvium contigisse. Deperdito autem hocce nutrimento, fœtui quam maxime necessario, et jam absente hocce vitæ thesauro facile concipi potest, quomodo singulæ partes ex causis
ante

ante dictis in putredinem conversæ, a se invicem separatæ, atque successive ex utero extirpatæ fuerint.

§. 15.

Longe minus dubium restat intuitu partium fluidarum atque solidescantium, quæ longe citius sine dubio quam partes solidæ in putredinem abierunt, exitumque sub forma mucii invenerunt, testantibus id probatissimis ante dictis autoribus in Casibus ab iis allegatis.

§. 16.

Praxis Medico-Chirurgica toto die docet, homines summo inflammationis gradu seu sphacelo in hoc vel illo artu correptos sæpius solius naturæ ope ac sine omni manuali operatione seu amputatione felicissime salvari, sola deperdita parte demortua et affecta, vicinis vero reliquisque membris integris et sanis restantibus. Perquam verosimile mihi videtur, fœtum huncce ex longa temporis mora, ex putredine, aliisque ex causis in frustula divisum idem fatum expertum fuisse, sicque exitum suum invenisse, licet nullum exinde in matricem redundaverit damnum.

§. 17.

De hæmorrhagia vero mortem tam matris quam fœtus prægressa nec unicum nobis restat dubium, quamvis illius in recensione Casus nostri ne minimam mentionem fecerimus. Illud etenim, quod in Sectione cadaveris judiciali non ex visu, sed

sed ex auditu tantum cognoscitur, merito relationibus Medico-Chirurgicis non addendum. Hanc ob causam quoque rem notatu dignissimam a propinquis fœminæ hujus undis submersæ acceptam :

Illam ex aqua extractam in regione pubis multo sanguine conspersam, ipsiusque vestes seu integumenta inferiora non pauca cruoris copia conspurcata fuisse, relationi non inseruimus, sed judici coram retulimus.

§. 18.

Hæcce notabilis circumstantia satis manifeste, ni fallor, nos edocet, fœminam hancce sub ipso mortis agone insigni ac plane enormi correptam fuisse hæmorrhagia, per quam fœtui in utero adhuc restanti non tantum omnis humorum circulus sed et nutritio plane denegata fuere.

§. 19.

Hancce sanguinis passivam quasi excretionem, subsecuta successiva partium fœtus corruptione ac putredine, facillime reliquorum humorum fluidorum item partium solidescantium, imo et ipsarum partium solidarum per genitalia effluxum atque excretionem excepisse, neminem facile dubitaturum, certo confido.



Anat A 234, 30